zam. 2 egzem. 2 z 1. fl.

LAVREÆ

PHILOSOPHICÆ

Virtute, morumqué integritate insignitis, ac inauguratis, nouem adolescentibus, easdemque obtinentibus in alma Academia Cracouiensi

oblatę,

A MARTINO SORNATHOVIC
Chęcinen. Stud. Crac.
E Contubernio Pauperum.



CRACOVIAE,
In Officina Basilii Skalski, Anno Domini,
M. DC. IX.

92

In Stemma.

MAGNIFICI AC R.DI D. D. MATTHÆI POSTH,

Sec: S. R. M. Parochi Checinen. Mœcenatis mei amplis.



Qvam bellè Antistes præclaro hoc Stemmate gaudes,
Quod meruêre graues Marte manuq; uiri.
Quis dedit hocce tibi ? uirtus autore Camæna,
Adferat hæc eadem grande decoris opus.

Matthiæ

MATTHIÆ WONIEISCIO.

ORdo iubet primum te ſtare ducemq; coronat:
Cur ? quia præ ſociis primus es arte Sophûm.
Primus amas Muſas, alii poſt ritè ſecundas,
Te primum elegit iurè Minerua ſibi.
Fælix Wonieiſci quem ſic Academia mater
Euchit: at facti gratior eſſe velis.
Quæ tibi ſpes ? tantum ſi donat culmen honoris.
Perge modò ſurſum prouehet illa magis.

CHRISTOPHORVS SAPALIVS.

Anagrammatiſmus.

ARSIT CARVS PHILOSOPHVS.

QVis dulces fluuio potat ſuaueſq; liquores
Pieridum ? exſiccat quis ſitibundus aquas ?
Bruma venit, latices haurit, neque frigore ceſſat:
Æſtas ſin vrit, fortius ille bibit.
Prò ſitibundum hominem! Quis hic eſt, vos dicite Muſæ;
Dic Parnaſſe ſacer, fare Thalia rogo.
ARSIT prædulcis CARVSq; PHILOSOPHVS vnus,
Scire cupis quinam ? nomine Sapalius.

ANDREÆ SAMBORIENSI.

INnumeros patriȩ decorarunt ſtemmate, laudes
Multorum ſummas pontus & æther habet,

Tullius eloquio, metro Sulmonis alumnus,
Pælleus iuuenis militis arte viget.
Laus est magna virûm quos extulit artis honestas,
Extulit ingenio, nec minus eloquio.
Sed tua non minor est Andrea gloria, nosti
Viscera Aristotelis, viscera Virgilii
Errores soluis librorum, pandis Elenchos,
Magnus es eloquio, magnus es ingenio.
Hinc meritò incedis redimirus tempora lauro,
Crescet in immensum gloria crede tibi.
Scilicet, ob studium Musis est moris alumnos
Ornare, & famâ condecorare bona.

IOANNI BRODOVIO.

SYdere fælici sub luminis editus oras
Qui bona corde fouet, pessima mente fugat.
Haud secus es Brodoui fælix nimiumque beatus,
Qui mala contemnis corde sequere bona.
Non tibi sunt curę Cræsique, Mydęque talenta,
Non tibi sunt curę Pygmalionis opes.
Ast mentem stimulant sanam virtutis amores:
Cur? quia corde foues optima, tetra fugas.
Tum quòd amas Musę gremium collesque virentes
Suscipis ac duri, grande, laboris onus.
Sic sapis? an comitum iam te sapientior vllus?
Musę fors æquâ lance beare solent.
Sydere tu fausto sub luminis editus oras,
Nam bona corde foues, pessima mente fugas.

MARTINO SKAPSCIO.

QVàm citò cepisti Parnassi scandere colles,
Tam subito culmen porrigit ille tibi.

Porrigit

Porrigit ille tibi summo de vertice culmen,
Stemmata quę capiti, temporibusque micant.
Suscipias igitur nexam de fronde corollam,
Hanc tibi Parnassus, misit ab arce sua.

ADAMO OPATOVIO.


Per dialogismum.

P. ECquis Adame rogo te tesqua per horrida duxit
Pieridum ad fontes? A. duxit honoris amor.
P. Quis vigilare animum iussit noctesque diesque
In studio assiduum? A. Iussit honoris amor.
P. O amor, ô & honos, quid non mortalia cogis
Pectora? quàm multos cogis adire necem?
Victor Adame viges, contemnens corde labores,
Hinc florescet honos: at sine fine tuus.
Vtque viret semper laurus nec fronde caducâ
Carpitur: æternus sic honor iste tuus.
Præmia magna capis, cinguntur tempora lauro,
Clarus erisque solo, clarus erisque Polo.

NICOLAO STANISZEVIO.

QVod natura parens aliis Nicolae refudit,
Hoc tibi concessit, plus aliisque dedit.
Dotibus ingenii polles & voce venustâ,
Arguto promis verba diserta sono.
Sic tibi se prębent faciles in carmina Musę,
Sic benè Phœbeá clarus in arte viges.
Inde tibi nomen crescit laudisque corolla,
Aurea quę tenerum tollit in astra caput.
Nunquam tot fuluas vastum fert littus arenas
Hermi, quot claris laudibus astra petis.
Testis palma tui studii, atque virentia serta,
Quę tibi dant laudem, perpetuumque decus.

BARTHOLOMAEO MICHONIDAE CHECINENSI.



Ad Lectorem.

Quisquis es hunc oculis clemens trepidum aſpicè pontem,
Hæc eſt tardigradæ ſemita ducta, feræ.
Si curris, ſapis : at greſſum ſi detinet error
Non mea culpa, tua eſt. heu fuge ponte cadis.

Ad Eundem.

Si vis fortè mei ſenſum cognoſcere metri
Aduerte : erranti ſint ea fila pedi.
Littera prima viam oſtendit, mox vltima verſus,
Prima ſit alterius : ſic lege tutus eris.

Eidem.

Dum te non bellè noſſem de pectore, paruo
Ingenio rebar, te coluiſſe choros.
Erraui, fateor ſpecie, ratus eſſe puſillas
In paruo dotes, nec pudet iſta loqui.
Laus eſt errorem cognoſcere ſumma vagantem;
Quodq; aliquid meruit dicere vera ſtatim.
Cum benè te noui docto de pectore, magno
Ingenio dicam te coluiſſe choros.
Paruus es vt video membris, cunctiq; fatentur,
At magnum pectus, docta Camæna dedit.
Ergo iurè tibi dat laurea ſerta merenti,
Paruus pulchra tene præmià, magnus eris.

MATTHIÆ SEPECIO.

Excellens iuuenis quis te conſiſtere iuſſit
Extremum ? ſors me verſat iniqua rotis.
Siccine res hominum inconſtans fortuna rotabit?
Leuior eſt ventis, omnia miſcet humi.

Macte

Macte animo iuuenis, decorabunt tempora Muſæ,
Et quod ſors rapuit, Muſa rependet opus.
Macte animo iuuenis, poſtremus in ordine, primus
Eſſe poteſt, ſtudiis; non locus illa regit.
Nunc igitur colles Muſarum vade per altos
I propera, ac animo ne cade magnus eris.
Si non deficies, finemq; ſcopumq; tenebis,
Sic Muſæ ingentes conciliabis opes.
Non hic crede mihi verus Mauortis alumnus,
Qui primus pugnat, poſtea primus abit.
Sed qui congreſſus, vult rebus ponere finem;
Inceptum, finis ſola coronat, opus.

Ad Zoilum.

Æquâ mente fero, quamuis tu dente canino
Rodas hæc Muſæ Zoile metra meæ.
Sic canis irarum voluens ſub pectore fluctus,
Saxa latrans rodit; poſtea mutus abit.

